



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 4. Novum fœdus Gustavi Adolphi Sueciæ Regis cum Galliarum Rege.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

pugnet contra plures articulos Christianæ Sæc. XVII.
fidei, fundamentum sit Missæ Pontificiæ, A. C. 1631.
& columna principalis totius Regni Anti-
Christiani; quodque ad salutarem usum
sanctæ Cœnæ non saltem non necessaria sit,
sed etiam perniciosa.

Ceterum inter hosce Sectatores de
concordia esse desperatum, expertus
erat Joannes Duræus, qui per triginta *Duræus.*
annos legationibus in Germaniam, Sue- *propempti-*
ciam, Daniam & ad Helvetios defun- *cum Irenic.*
ctus, hoc in opere oleum & operam *Horn. Hist.*
perdidit, ac melius fecisset, si vel do- *Ecccl. p. 392.*
mi mansisset, vel cum Georgio Hornio
Calvinista dixisset: *Nos moderatos (Cal-*
vinistas) *pro fratribus (non fidei sed*
amicitiæ vinculo) *habemus, & habemur*
ab illis, ceteri valeant, abeant.

§. IV.

Novum fœdus Gustaphi Adolphi Sue-
ciæ Regis cum Galliarum Rege.

Nondum ad Germaniæ, Cæsaris, Ca- *Lotich. rer.*
tholicorumque excidium sufficere *Germ. l. 36.*
videbatur, Gustavum Sueciæ Regem *cap. 1.*
ex Septentrione evocasse, omnesque *Annal. Boic.*
Protestantes Ordines novo fœdere con- *Adlxr. l. c.*
spirasse; pernecessarium adhuc crede- *pag. 136.*
batur, ut Ludovicus quoque Galliarum *Khevenh.*
Rex saltem pecuniarum subsidiis cæpta *Annal. Ferd.*
molimina secundaret. Morabatur ta- *tom. 11.*
p. 2065. &
2007.
men

Sec. XVII. men adhuc apertam armorum societate

A. C. 1631. tem Religionis evertendæ formidat

hunc tamen scrupulum ex Regis animo evulsit Richelius Cardinalis, asserens, quod Ludovicus ardens conservandæ fidei Catholicæ studium Rupertensium Calvinistarum excidio jam testatam reddidisset, aliunde veniens præfens bellum non Religionem, sed duntaxat politicas rationes spectare. Præprimis igitur Franciæ Rex Hercoleum Baronem Charnassæum eo tempore, quo cum Cæsare pacis negotia vix non absolverat, Legatum unacum ingenti pecuniarum summa Brandenburgiam Brandeburgensis Marchiæ urbem decernebat, ut cum Gustavo Rege qui ibidem castra metabatur, quinqueennale foedus pangeret, hacque ratione *communes utriusque Regis amici, nimirum Protestantes, Batavi, ceterique Cæsaris hostes defenderentur, oppressi Imperii Romani Ordines restituerentur.* Hanc in rem utrinque conventum, Franciæ Rex in suo Regno milites & nautas conscribi pateretur, atque ad Suecici belli expensas quotannis quingenta aureorum millia præter alia centum viginti Thalerorum millia mereretur: Cautum quoque erat, quod cum Duce Bavaro & foederatis Catholicis in Imperio Romano amicitia, vel

saltem neutralitas servetur, dummodo Sæc. XVII.
 id vicissim hi præstiterint, A. C. 1631. sique Deo placuerit, Regi Sueciæ felices armorum successus concedere, hic in negotio Religionis non aliter se gerat in occupatis deditisque locis, quam secundum Imperii leges, atque exercitium Religionis Catholicæ Romanæ in locis, in quibus reperiatur, integrum remaneat: Verum qua ratione id ab exercitu, qui ad juvandos Protestantes ob restitutum Religionis Catholicæ usum querulos comparatus erat, sperari potuit? Hisce articulis die decima tertia Januarii firmatis Sueciæ Rex Benedictum Oxenstirnum ad Franciæ Regem ablegabat, qui etiam reliquis articulis feliciter conclusis, a Ludovico Rege Parisiis prorsus insolitis honoribus augebatur.

§. V.

*Cæsaris literæ ad Urbanum VIII.
 Papam circa hoc fœdus.*

Postquam Cæsar in Ratisbonensi tractatione a Gallicis Oratoribus sese deceptum compererat, Electores Catholicos, quid in hac rerum vicissitudine agendum, consultabat, hi vero die trigesima prima Septembris responderunt, quod Franciæ Rex fœdere cum Suecis inito primum Ratisbonensis pacis articu-

Khevenh. l. c.
 p. 2023.